



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Stavrologia Coloniensis**

**Gelenius, Aegidius**

**[Coloniae Agrippinae?], [ca. 1636]**

XVIII. † In Westhoven.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64564)

gentea vestit lamina, & cum ad parturientes defertur, orationes atque Evangelia, præscripto per Capitulum ritu à Sacerdote ex Libro recitantur, in eundemq; Librum beneficia à Deo obtenta referuntur. Adhæc, prout ab Ecclesiæ Thesaurario audiui, inclusa quoq; sunt metallinæ Cruci paucula sarmenta derasa, cum Crucis Dominicæ reliquiæ polirentur, & in nitidiore argentea Hierotheca recondentur.

XVIII. ✠  
IN WESTHOVEN.

**L**ibet hic subtexere, quod sequenti capite subnectit Cæsarius, de Cruce in Westhouen Diœcesis Coloniensis, primo ultra Tuitium trans Rhenum lapide.

*In Comitatu de Monte, non multis abhinc annis inter duas cognationes militum tam graues inimicitia orta sunt, vt se inuicem caperent & occiderent: Die quadam cum plures vnius partis conuenissent in Ecclesia Villa, quæ Vestupe dicitur, aduersa parti per vetulam proditi sunt; dederat enim signum, dicens: Quoties intrare-*

trauerint, toties nolam traham. Quod cum fecisset, Ecclesiam cum multitudine ingressi armati super inermes irruerunt, quo viso, illi arreptis sacris imaginibus gladiis opposuerunt, sperantes illarum sibi beneficio parci debere: percussores vero nullum loco exhibentes honorem, nullam sacris imaginibus reuerentiam, ita hostium cruorem sitiabant, ut imagines oppositas mutilarent, ipsiq; Crucifixo brachia prae-scinderent, & octo circiter milites trucidarent in Ecclesia: Quod sacrilegium dure satis vindicatum est, nam intra breue tempus ab occisorum consanguineis occidentium numerosa multitudo sic gladio deleta est, ut vix duo superessent: vetula vero, quæ illos prodiderat, tempore messis nimio aëris calore suffocata est.

## XIX. ✠

IN ALDENRVDEN ER-  
ponis de Padbergh Comitibus.

**A** Cruce Westhouensi, quæ de mutilatoribus suis huiusmodi vindictam sumpsit, de labor ad illam quæ in Aldenruden miraculis est longe lateq; famosa, in qua Lignum Dominicæ Crucis, pedes, manus, caput, argenteis vestita sunt laminis.

Est